Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-565728-p0001-1

Tomus XIII
Miscellaneorum Philologicorum.

בשׁם:

EXERCITATIONUM PHILOLOGICARUM

In

PSALMUM PRIMUM,

QUARTA,

Ad Ejusdem Comma quārtum:

habebitur publicè

In Electorali Academiâ Wittebergensi,

PRÆSIDE

ANDREA SENNERTO,

Profess: Publ:

Respondente

M. ANTHONIO GÜNTHERO,

S. T. S.

ad d. Februarij horis antemerid.

in Auditorio Majori.

cIↃ IↃ c LIV.

WITTEBERGÆ,

Typis Johannis Röhneri, Acad. Typogr.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-565728-p0004-8



PARS SECUNDA
PSALMI.

HActenus descriptio Pii Beatiq; nostri, aut, quod idem est, veræ illius solidæque, quæ juxta DEUM est, Beatitudinis. Εὐδαιμονία positiva. Negativa sequitur nunc: Inanis Umbra mundanæ apparentisque beatitatis: sive, quod vicissim idem est: Impii descriptio, ejusdemque infelicitatis, summæque planè miseriæ, è contrario: quò nimirum, quemadmodum Philosophi loquuntur, duorum contrariorum juxta sese positorum, alterum horum eò magis eluceſcat. Hæc verò descriptio Impii hujus absolvitur tribus ferè iterum membris distinctis: I. Antithesi nudâ simpliciq;. II. Similitudine vicissim quadam, sanè convenientissimaq; eadem. Utrumq; continetur *vers.4.* Et III. denique Ejusdem exegesi & accommodatione pleniori, dupliciq; illâ, uti dehinc videbimus, *vers.5.* De singulis sigillatim vicissim.

Vers. IV.

לֹא־כֵן רְשָׁעִים *Non sic impii*] Primum. Antithesis, sive remotio simplex superiorum omnium (expositæ scil. Beatitudinis, & causaliter & effectivè) imprimis v. eorundem, commate quæ præcedente descripta sunt: &, vi contrariorum, simul indicatura implicita quidem dissimilis planè status impiorum, ab eo qui est piorum. Chaldęus vicissim legit: לָא מְשׁוּל חִיכְנָא דִּרְשַׁיָּא *non propterea sic improbi:* רְשַׁיָּא status constructo

pro abſoluto poſito, uti fit quandoque. Syriaca verò translatio: לא הכנא דשיעא לא הכנא *non ſic impii, non ſic*, repetitis verbis anterioribus binis. Ita quoque Mauritana ſ. Arabica: ליס כדלך אלמנאפקן ליס כדלך *non ſic impii (nocentes, maleſici* propriè) *non ſic:* מנאפקון nom. participale, è Conjugatione III. activâ, *nocens, maleficus;* aliud planè cognomen Impiorum, extra aut præter ea tria, quibus ſuprà paraphraſtes commate primo uſus eſt; confer ſis ſingula, ibid: cujus plurale, ut h. in l. extat, præmiſſo articulo vulgari אל: à themate ſuo נפק *diſpenſare, erogare, inſumere*, & in alterâ ſignificatione, Conjugationis præſertim modò dictæ, נאפק *nocere, lædere, malè facere* unde & נפאקון *rebellio, impietas.* LXX viralis translatio: οὐχ ὅτως οἱ ἀσεβεῖς, οὐχ ὅτως. Vulgata: *non ſic impii, non ſic.* B. Theandri quæ eſt: Aber ſo ſeind die Gottloſen nicht. Anonyma vetus apud me quædam: Dir ungütigen/ nit alſo/ nicht alſo. Jam, לא כן *non ſic* quid? declaratione nempe prolixâ opus minimè eſſe cenſuit Spiritus S. amanuenſis: antitheſi nudâ igitur utitur primùm ſaltem: *non ſic:* ut ut, quaſi dicat, plauſibilis fortè etiam coram mundo, aut primâ fronte, impiorum conditio ſit nonuunquam; minimè ita tamen in ſeſe eſt. Cæterùm ἀπόφασις hæc vel I. poteſt referri, (ut ſupra quoque partem ſub initium indigitatum) ad ſuperiora præcedentia omnia, verſ. 1. 2. & 3. dicta, & ad ſtudia nempe actionesque piorum, verſ. 1. & 2. & præmia ſimul hinc conſequa, vel fructus eorundem; de quibus maximè, verſ. 3. quibus ideo utrinque ſcilicet, & quod ad illa & hæc quoque opponantur è diametro h. l.

impii

impii, ſive filii ſeculihujus: vel II. quod Geſnerus hęc velle videtur, reſpicit prius ſaltim negatio illa, cauſſam nempe προγαλαξικὴν ſive procreantem, (in ſano ſenſu, ætque poſt DEUM) illius beatitudinis mage, quàm effectum ſive fructum, individuum aliàs quidem ejus comitem; hoc eſt, conatus & inſtituta impiorum, oppoſita eſſe piorum vitæq; rationi eorundem: quaſi verò dicatur, ut verba fere ſunt B. Geſneri: *non ſic impii*, non talia horum conſilia & inſtituta, quæ piorum; nam quod pii fugiunt, vers. 1: iſti faciunt, quod illi verò faciunt, v. 2. hi fugiunt. Quæ tamen porrò ſententia minus probatur nobis, ut mutila nimirum (ſit venia dicto) fructuſque, majorem illam beatitatis ſpiritualis partem, excludens. Prior ideoque potior probabiliorque eſt nobis: aut immo certè verior tertia hęc jam, quæ fructus potiùs reſpicit, ſortem maximè ſcilicet piorum ſecundam aut proſperam, deſcriptam effectivè in actuque q. conſummato, commate antecedenti tertio: quo quidem, dico, commate, propter antecedentia ſtudia comparatur Pius beatusque palmæ nobili; ut adeò contraria ſors, è regione quaſi, atque viciſſim adverſaque impiorum paucis his verbis notetur: *non ſic*, minimè tales, beati ſcilicet, erunt impii, haud ſimiles erunt arbori, palmæ nobili, plantatæ, frugiferæ perennantiq;, haudquaquam, nullo modo: quod vel ſimilitudo videtur ſubſequens ſtatim connexaque cum hoc ipſo enunciato ſvadere quoque: *potius ſicuti palea ſunt*. Cum nemine tamen litigare nos quidem ideo volumus, qui amplecti velit priorem ſententiam. Syrus, Arabs, Græci atque Latinus repetunt illa verba, לֹא כֵן *non ſic*, quæ in

fonti-

fontibus repetita minus tamen habentur; non differentibus, Eugubino, Bellarmino, Lorino, Genebrardo heîc ἀχ' ὅτως, ἀχ' ὅτως, *non sic, non sic* (ita, ut dictum modò, Syrus quoque & Arabs) magè ad vim fontis, uti rectè heîc loquitur & hac vice quidem Genebrardus, exprimendam, utque negativa confirmetur; quàm quæ Lyrani & Hugonis opinio est, quò subsit mysterii aliquid huic repetitioni: quasi verò (immò quasi verò) ideo alterum repetatur *non sic*, quia in utroque nihil commune aut commercii habeant cum piis impii, neque scilicet in peccandi immunitate descriptâ vers. 1. neque intrinsecâ etiam, ut sic dicam, bonitate, vers. 2. in tertio verò aliquid agnoscant, nimirum in arbore, vers. 3. cui nimirum aliàs item nonnunquam in S. Scripturâ comparentur & ipsi, suoque modò: conf. Psalm. XXXVII, 35. & præ illis quin imò (piis) non rarò, atq; coram mundo, per temporis certum articulum appareant felices: quà de ratione ergò ipsâ tertium id: *non sic*, haud quoque sit repetitum, sed vice secundâ saltim. Alii porrò apud Lorinum alterum: *non sic*, de vitâ gratiæ, alterum de vitâ gloriæ exponunt: piè quidem & illi, sed sine fundamento utrique, quod scilicet in fontibus nihil ejus, ut apparet, extat. רְשָׁעִים autem unos solos explicitè (exclusis commate primo חַטָּאִים & לֵצִים) videtur nominare hîc autor carminis, Vates (Lorino hîc synonyma vox hæc est cum reliquis omnibus, ut ex ungue fortasse de leone, ut huc apophthegmatis id, aut verius proverbii, accommodem, constare possit: quasi vero dicatur: *non sic* רְשָׁעִים multò minus igitur חַטָּאִים aut לֵצִים tales sunt eruntq; multoque magis, si illi, hi removendi

sunt

ſunt exterminandiq́ue è ſtatu beatorum, qui deſcribitur h. l. Infimum videlicet, verbo, gradum expreſſit ſolùm malorum, ut excludatur medius multò magis, actualiter nimirum malitioſeq́ue peccantium, & ſupremus quoque irriſorum induratorumq́;.

כִּי אִם כַּמֹּץ אֲשֶׁר תִּדֶּפְנּוּ רוּחַ *quin imò ſicut gluma (ſunt) quam diſpergit ventus.* Targum: אֱלָהֵן כְּמֻזָּא הִי תַּשְׁקְפִנֵּיהּ עַלְעוּלָא *ſed veluti gluma ſunt, quam diſpellit turbo* vel *tempeſtas.* Syrus: אלא איך עפרא דדריא רוחא *ſed ſicut gluma ſunt, quam diſpergit ventus.* Arabs verò: כל כאלהבא אלדי תדריה אלריח ען וגה אלארץ *ſed ſicut gluma* (aut *pulvis*) *ſunt, quem diſpergit ventus de facie terræ.* Tantundem Ἡ μεθερμήνευσις τῶν ὁ: ἀλλ' ἢ ὡσεὶ χνῦς, ὃν ἐκρίπτει ὁ ἄνεμος ἀπὸ προσώπου τῆς γῆς. Communis quoque Verſio: *ſed tanquam pulvis*, ſcil. ſunt, *quem projicit ventus à facie terræ.* Megalander verò: ſondern wie Sprew/ die der Wind verſtrewet. Secundũ. Convenientiſſima ſanè ſimilitudo viciſſim. Sanè enim, alterum nimirum, aut diverſum quidpotiùs ab hoc videri poterat fortaſſe: futurum nempe, ut vi contrariorum Vates comparaturus nunc modò ſit, debereq́ue ſic omninò, Impium arbori viciſſim (ut contingit quandoq́ue, ſupraq́; modo vidimus, in Scripturis aſſimilari etiam bonæ) ſaltim h. l. dico, 1. feræ ſive ſylveſtri 2. ſterili, infrugiferæq́ue 3. mox exareſcenti. Quemadmodum hunc fere in modum apud Jerem. cap. XVII, 6. myricæ in deſerto exareſcenti comparatur: alibi fortaſſe. Verum verò non facit, haud amat. Relictâ prorſus metaphorâ potiùs priore, dignum minimè judicat h. l. quidem

arbiter ac judex ſeveriſſimus, juſtiſſimus impium, qui rei animatæ, vivæ, radicem, folia & fructus habenti aſſimiletur; abjectior multò præſto eſt proſtatque, ex trivio petitâ, immò ſordium loco & quisquiliarum communi huc trahi commoda: huic comparat: paleæ nimirum ſive quisquilis aliquò, in ſordium locum quempiam communem, forte fortunâ deportatis, ventorumque ludibriis expoſitis, mox evaneſcentibus penitus, nec viſis ampliùs quidem deprehenſisque uspiam. Tales enim vel maximè textus circumſtantiæ velle videntur intellectas. Haud paleam, quæ in culmo adhuc habitat, aut ſpicâ hæret & grana tuetur; (unde gloſsa inanis ſanè Cajetani cit. Lorino hîc, de utilitate impiorum quoad pium, ſive uſu eorundem quem præſtent pijs, uti palea tritico, dum tegit illud:) nec porrò quæ decuſſa jam & ſeparata in area horrei jacet adhuc, ventilata dico jam, ibidem ſcilicet ſaltem; multò minus ventilanda adhuc ventilabro ſive excuſsorio inſtrumento: quo ſimili utitur Johannes baptiſta, ſimilem reſpiciens planè paleam, Matth. III, 12. neque tandem alia etiam quæcunq; uſui ſuo diſtinata qualicunq;, ut ut viliſsima aliàs quîdem res: ſed abjectiſsimæ potius ſortis, uſus nullius, שלאיהנו ממנו בני האדם *unde nihil planè lucrantur homines*, ſicuti רוח, venti ſummatim ludibrium: quem planè in ſenſum reperitur Job. XXI. 18. Pſalm. XXXV. 5. Joſ. XXIX. 5. imò in pleriſq; locis, S. Scripturæ reliquis ita ſumitur; conf. ſi placet, ſingula. Cæteroquin originaliter atq; in ſe ſe vocula מוץ, quæ cum מצה מיץ & מצץ *preßit*, *mulſit*, *munxit*, *emungendo expreßit* cognitionem quandam habet, grani folliculum vide

lum videtur notare, qui tegit proximè illud, expressum tamen atq; disparatum illum ad eodem jam. Ulterius aliquam progrediuntur, atq; ut, nisi insigniter fallor ego, Vulgatam suam tueantur, quæ *pulverem* habet, legit, reddunt Bellarminus, Geuebrardus, Lorinus heic, reliqui parastatæ apud hunc, præsertim verò Cardinalis, per paleam nimir: minutissimè contritam & quasi in pulverem redactam, speciem pulveris ex triturâ paleæ, uc verba sunt expressa ejusd: sed videtur contrariari huic quidem concisiori notationi locus Job. XXI. 18. ubi cum תֶּבֶן *stramen* conjungitur. Vicissim tamen Jes. XVII, 13. in sensu tralatitio quidem מוֹץ הָרִים *gluma*, i. e. pulvis *montium* reperitur: qui propriè alias עָפָר est salutaturq;. At verò cum nemine hîc litigabimus, facilesq; nimis aliàs habemus hic quoque interpretes. Helleniste præcipueq; reddunt per χνόος, quod contractè est χνῶς (minimè tamen vicisim & ipsi per χῶς à χέω, quod *terram, pulverem terrenum*, significat) à χναύω *carpo, vellico*, quod *rasionem, rasuram quamcunq;*, item hinc *lanuginem primam* genarum, item herbarum, & *maris spumam*, χνῶς ἁλὸς, denotat. Sed transeant istæc tandem. Additur porrò: *quam dispergit* (תְּזָרֶנּוּ V. infra in peculiari de hoc verbo Quæstione, scil. X. Chaldæus in Aphel Futuro: תְּשַׁקְיִךְ additis addendis, sc. affixo ה- & nun epenthet. dagess. præcedente in singul. numero (.) vel (:) conf. Chaldaismum & Syriasmum nostr. Lib. II. Cap. II. p. 104. Syrus & Arabs unâ eademq; radice זרא vel זרי, ab Ebr. זרה quæ est, *ventilare, dispergere, propellere, conterere*, utuntur) *eam* (ad literam) *ventus*: repetito pronomine qui-

ne quidem in originali, ita in Targum quoq;, non sine energia suà quadam: de quo & ipso infra Obser. XI. quasi verò dicas: quæ abrepta celeriter & ex improviso in aëre hinc & inde jactatur, donec dispereat tandem.

רוּחַ in Ebræo latè quidem aliàs etiam significat: sed hoc in loco extra controversiam, aerem aut ventum elementarem, ut alibi sæpissimè: Psalm. CIII.16. Psalm. CXXXV,7. CXLVII.18. Chaldæus unus solus adspeciem ejusd. descendere videtur, שׁלעולא quando; quod est propriè *procella, turbo*, item *tempestas* & cum רוח conjunctum in auxeñ alibi nonnunq; רוח עלעולין *ventus tempestatum* i. e. *turbulentus, procellosus, vehementissimus*, dejiciens quæq;: unde & עָלְעֵל verb. ejusd. notionis. Arabs, Græca & Communis addunt: עין וגה אלארץ (וַגְהִין *facies, vultus, aspectus, superficies* & Nun casuali Genitivi casus, sive numnatione abjectâ pro more in regimine וַגֵּה) ἀπὸ προσώπου τῆς γῆς, *à facie terræ*: cujus phraseos expositiones varias, sed frustraneas sanè easd. nimirum Augustini, Remigij, Brunonis, Haymonis, Thomæ, Lyrani, Hesychij, Euthymij, Dionysij Carthus. &c. v. apud Lorinum, hîc: ac notanter fortasse quidem illæ ita amant, nec sine ratione sua quadam, aut emphasi quoq;, sed citra fontis expressam tamen mentionem. Notatur ergo tandem hoc commate sive inciso posteriore Impiorum I. *Vilitas & sterilitas*: minimè utilitas, secundùm glossam Cajetani quæ est, suprà quam modò allegavimus. Rectissimè Ambrosius, I. de Abraham. C.XXXIV. cit. Lorino, h.l. *Nihil pulvere* (paleis) *sterilius* (vilius, inutilius) *& infœcunda est impiorum anima*. Rectiusq; multò *Molestia* hic, quam pijs illi creant,

ant, ab alijs alijsq; urgetur adferturq; item: quemadmodum palea impulſa vento faciem & oculos hominum lædit ædesq; contaminat. II. *Futilitas* ſive *fugacitas* vel inconſtantia. Quid enim vicisſim quisquilijs, ſodes, modoq; deſcriptis quidem ſuprâ, hinc & inde jactatis volantibusq; in aêre ſub dio contemtius, minus ſtabile aut fugacius, & in oculis hominum & in rei veritate? Sic impij & in ſe ſe & in conſpectu Dei piorumq;. Et III. perq; conſequens, *Vanitas ſ. inanitas* eorundem, ac miſerrima planè tandem conditio, ſive infelicitas ſumma. Abreptis enim ex improviſo & opinione celerius, citiusq; quam putes diſpereunt, evaneſcunt, nihilq; modò ſunt. Nota deniq; inſuper etiam adhuc: per Ventum hic quidam, nec incommodè omninò, (Mollerus, Muſculus, Marloratus, heic, Szegedinus, in analys. tom. 2.) potentiam DEI ultricem, vindictæ ejus, atq iræ judicijq; divini; (conf. omninò & v. Zephan. II. verſ. 2.) & illam inobſervabilem quidem ſive inviſibilem (conf. Johann. III, 8.) ſubitò & præter mentem citoq; ſubortam, intelligere. Nec, dico, incommodè omninò. Alias præterea aliorum quoq; interpretationes, quid nimirum ſibi intellectum velint per Ventum, ex gr. ſuperbiam impiorum, quæ ipſos illos peſſundet, cupiditates nefarias, porrò mortem, &c. vid. apud Lorinum ad hunc verſ. ſub init fere. Sed præſtat ſuperior, ceu dictum, expoſitio. Hancq; ſortem, poſtremùm omnium, eorundem (impiorum) graphicè depictam in nonnullis alijs S. Scriptura locis quoq; reperire eſt: *Sicuti propellitur fumus, propellis eos: ſicuti liqueſcit cera à facie ignis, ſic impij peribunt*

bunt à faciè Dei, Pſalm. LXVIII. 3. ſeq. & citatis locis ſuprà, Pſalm. XXXV, 5. alibi. Immò, quodq; magis, idem ſanè pronunciat de illis (impiis) Spiritus DEI, quos tamen haud, minimè, paleæ, quisquilijs abjectis anteà comparavit, ſed potius magnificis quos verbis, titulis atq; encomijs exornaverat, depinxerat, arbori bonæ, lauro & ſimilibus comparaverat antè: attamen mox, ajam, addit tum poſtea & de hiſce: *Sed ecce, ſicuti ſomnus, ſicut umbra, fumo, inane, planeq; nihil mox ſũt.* Conf. claſsica loca: Job. XXI. à commate 7. ad 22. Pſalm. LXXIII. à verſ. 3. ad 21. Pſalm. XXXVII, verſ. 35. & 36. Elegantem illum poſtremum quidem, planèq; emphaticum, quemq; G. Buchananus, Scotus, eleganter planè vicis ſim:

Vidi potentes impios
Graviq; faſtu turgidos
Vireſcere inſtar laureæ
Amœna propter flumina.
Specto, repentè, er lubricæ
Imago nuſquam gloriæ,
Nuſquam manent veſtigia
Cunctis gravis potentiæ.

Nos verò vernaculo ſermone eundem atq rhythmicè quondam alicubi (in Verſione germanica *Meditationum, de bene vivendi beateq; moriendi ratione B. Parentis, cap. XVI. pag. 231.*) ita transtulimus: (placet integrum illum, & quid vetat? huc adſcribere concluſionis loco, circa comma præſens: ſic autem habet:

Ich ſahe der Gottloſen Schar/
Die voller ſtoltz und Hochmuth war/
In allem Glück und wolergehen/
Wie Lorbeer baũm' an Bächen ſtehen.
Ich ſeh' In dem geht aller ſchein
Der Ehren wie ein Schatten ein/
Vnd war von ihren ſtoltzen wercken
Auch nicht ein Zeichen mehr zu mercken.

תלה אבן׃

01 A 6640

ULB Halle
003 108 309
3

Sb.

VD17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-565728-p0015-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-565728-p0016-5

PHILOLOGICARUM

MUM

MUM,

TA,

mma quārtum:

publicè

miá Wit tebergeuſi,

DE

ENNERTO,

Publ:

nte

GÛNTHERO,

S.

oris antemerid.

Majori.

LIV.

ERGÆ,

eri, Acad. Typogr.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-565728-p0017-0